

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livi Ab urbe condita libri

Livius, Titus

Berlin, 1909

Periochen

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-4442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-4442)

T. LIVI

AB VRBE CONDITA LIBRORUM PERIOCHAE.

EX LIBRO XXXVIII.

M. Aemilius consul Liguribus subactis viam Placentia usque Ariminum perductam Flaminiae iunxit. initia luxuriae in urbem introducta ab exercitu Asiatico referuntur. Ligures, quicumque citra Appenninum erant, subacti sunt. Bacchanalia, sacrum Graecum et nocturnum, omnium scelerum seminarium, cum ad ingentis turbae coniurationem pervenisset, investigatum et multorum poena sublatum est. a censoribus L. Valerio Flacco et M. Porcio Catone, et belli et pacis artibus maximo, motus est senatu L. Quinctius Flamininus, T. frater, eo quod, cum Galliam provinciam consul obtineret, rogatus in convivio a Poeno Philippo, quem amabat, scorto nobili, Gallum quendam sua manu occiderat, sive, ut quidam tradiderunt, unum ex damnatis securi percusserat rogatus a meretrice Placentina, cuius amore deperibat. extat oratio M. Catonis in eum. Scipio Literni decessit, et, tamquam iungente fortuna circa idem tempus duo funera maximorum virorum, Hannibal a Prusia, Bithyniae rege, ad quem victo Antiocho confugerat, cum dederetur Romanis, qui ad exposcendum eum T. Quinctium Flamininum miserant, veneno mortem consciiit. Philopoemen quoque, dux Achaeorum, vir maximus, a Messeniis occisus veneno, cum ab his bello captus esset. coloniae Potentia et Pisaurum et Mutina et Parma deductae sunt. praeterea res adversus Celtiberos prospere gestas et initia causasque belli Macedonici continet; cuius origo inde fluxit, quod Philippus aegre ferebat regnum suum a Romanis imminui, et quod cogeretur a Thracibus aliisque locis praesidia deducere.

EX LIBRO XXXX.

Cum Philippus liberos eorum, quos in vinculis habebat, nobilium hominum conquiri ad mortem iussisset, Theoxena, verita pro liberis suis admodum pueris regis libidinem, prolatis in medium gladiis et poculo, in quo venenum erat, suasit his, ut imminens ludibrium morte effugerent, et, cum persuasisset, et ipsa se interemit. certamina inter filios Philippi, Macedoniae regis, Persen et Demetrium, referuntur; et ut fraude fratris sui Demetrius fictis criminibus, inter quae accusatione parricidii et adfectati regni, primum petitus, ad ultimum, quoniam populi Romani amicus erat, veneno necatus est, regnumque Macedoniae mortuo Philippo ad Persen venit. item res in Liguribus et Hispania contra Celtiberos a compluribus feliciter gestas

continet. colonia Aquileia deducta est. libri Numae Pompili in agro L. Petilli scribae sub Ianiculo a cultoribus agri arca lapidea *inclusi* inventi sunt et Graeci et Latini. in quibus cum pleraque dissolventium religionum praetor, ad quem delati erant, legisset, iuravit
 40 senatui, contra rem publicam esse, ut legerentur servarenturque. ex senatus consulto in comitio exusti sunt. Philippus aegritudine animi confectus, quod Demetrium filium falsis Persei, alterius filii, in eundem delationibus impulsus veneno sustulisset, de poena Persei cogitavit voluitque Antigonum potius, amicum suum, successorem
 45 regni sui relinquere, sed in hac cogitatione morte raptus est. regnum Perseus excepit.

Abweichungen vom Text der Jahnschen Ausgabe
 (Lipsiae MDCCCLIII).

4. *Appenninum*] *Apenninum* Jahn. — 8. und 17 *Quinctium* *Quintium* Jahn. — 10. *in convivio*] NP; fehlt bei Jahn. — 17. *mortem conscit*] NP; *sibi mortem conscivit* Jahn. — 19. *his*] NP; *iis* Jahn. — 25. *nobilium*] NP; *nobilissimorum* Jahn. — 34. *venit*] NP; *devenit* Jahn. — 37. *inclusi*] ML; *clusi* Jahn. — 42. *Persei*] NP; fehlt bei Jahn.